



denique vereor, devotionem manifestam *αὐτοχρησίαν* pronun-
ciare, quae tam ex neglectu et contemptu summi beneficii,
quod Deus vitam tribuendo hominibus concessit, quam
nefando vitae humanae odio proficisci solet. Demas enim
quaeso fucum, quo se pingere quondam studuit devotio,
pietatis, quae devotum ideo commendet, quod aliis inter-
viendo, ipse consumatur; demas ritum devotionis publi-
cum ac solemnem, qui, ut animos hominum eo maiorem
in admirationem temerariae illius pietatis raperet, vel ab
ipso Pontifice populi peractus est; demas denique externa
reliqua, quae naturam rei nihil mutant, et spernas incon-
sideratissimum, quo excepta est devotio, populi plausum,
αὐτοχρησίαν, persona detracta, in devotione expressam fa-
cile conspicies.

§. 4.

Si quis praeterea devotionum fontes et capita viderit,
minus honeste, rectissime tamen de earum impietate ac tur-
pitudine, puto, judicabit. Exempla enim devotorum, quot-
quot prostant omnia confirmant, devotionis cupidinem aut
ab ambitione, aut desperatione, aut denique adulatione
originem duxisse. Videamus exemplum Deciorum P. et F.
In praelio Romanorum cum Latinis horum impetum haud
ulterius sustinebat exercitus Romanus, sed de fuga cogita-
bat. Quid Decius? Si facinus praeclarum faciam, si me
ipsum, pro legionibus devoveam, nonne Deorum filium me
habebunt Romani, nonne divinitus et coelo quasi missum?
habebunt certe. *Agedum, inquit, Pontifex publicus popu-
li Romani praei verba, quibus me pro legionibus devoveam.*
Praeit ille, hic devovetur, quid tum? Parum abfuit quin
coelo